



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

17. Non veni legem soluere, sed adimplere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

fugiunt, vt ouiculas Christi à Pastoribus abdu-  
ctas sub specie veræ doctrinæ lupis committant,  
vel vt seipfos pro lupis gerant, & abducant discipu-  
los post se.

Corrup-  
telæ Cal-  
uinianæ  
scopus.  
Act. 20.

17. *Non veni legem solvere, sed adimplere.*

**P**RODIGIOSA est hoc loco Caluini  
corruptio. Summâ verborum Christi hoc  
esse vult. *Hic (inquit) de doctrinâ agitur, non de  
vita. Nam quoad doctrinam nulla nobis in Christi aduen-  
tu fugienda est legis abrogatio. Rursum. Sensus clarus est,  
reiectum iri tanquam postremos hominum, qui legis doctri-  
nam vel in vna syllaba contemptibilem reddunt. Hæc ille.*  
Christus igitur in sensu Caluini legem nō soluit,  
sed adimplet, quia eius doctrinam non tollit, sed  
statuit & confirmat. vnde iterum addit. *Christus in  
Ecclesiâ suâ admittendos negat doctores, nisi qui fidi erunt  
legis interpretes, & integram eius doctrinam asserere stude-  
bunt. Hæc ille.* Obedientiâ legis & exequutionem  
à Christo hoc loco doceri nō admittit Caluinus,  
sed tantummodo vt promulgato Euangelio lex  
quoque mandatorum doceatur quidem & fideli-  
ter explicetur, opere tamen aut à nullo implea-  
tur, quia à nullo impleri potest, aut non necessa-  
riò impleri debeat. Nam propterea libertatē non  
implendi legem, quâ Caluinus sibi arrogat, cum  
his Christi verbis non pugnare, hoc ipso in loco  
Caluinus ait. *Quòd (inquit) abrogata maledictione le-  
gis, seruitus quoque eius est sublata, & parta fidelibus liber-  
tas, nihil inde legis doctrinæ deccedit. Hæc ille, libertatē  
statuens non qua lex liberè & ex dilectione im-  
pleatur, quæ est vera fidelium libertas, sed qua ad  
legis exequutionem fideles nō obligētur. Quam  
etiam ob causam, illa Christi verba, Non præteris*

Legem  
quomodo  
Christus  
adimplet,  
nō soluit.

Lex iuxta  
Caluinū  
docet tan-  
tum, non  
obligat.

D bit

bit apex à lege donec omnia fiant, exponit Calvinus, istud fieri, non referri ad hominum vitam, sed ad solidam doctrinæ veritatem. Moxque illa Christi verba, *Qui igitur soluerit vnum ex mandatis istis minimis, &c.* vbi de præceptis vitæ agi fateri cogitur, sic exponit. *Ad præceptorum Dei præscriptum omnes Dei filios vitam suam formare decet: & eos probos esse Dei ministros docet, qui legis obseruantiam tuam vitæ exemplo tuum verbis commendat.* Hæc ille. *Dei filios decere ait vt præcepta seruent, non autem oportere, aut ad istud obligari.* Probos Dei ministros legis obseruantiam commendare patitur, non autem vt ad salutem necessariam Dei nomine præcipere & præscribere. Postremò propter hoc vnum, *legem cum Euangelio non pugnare docet, quia legis præcepta Euangelium quoque docet & commendat, tanquam quæ decant filios Dei.*

Legem  
seruari de-  
bet iuxta  
Caluinū,  
nō oportet.

Refutatur  
Caluini  
dementia  
ex ipso  
Caluino.

Sed totam hanc impietatem Calvinianam, sola illa Christi verba, *Qui soluerit vnum ex his mandatis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum,* aperte refutant. Quum enim illic nominatim loquatur Christus *de præceptis vitæ*, siue de decem mandatis, vt Calvinus disertis verbis fateretur, minimus autem in regno caelorum, *nullum & abiectum* significat (vt Calvinus ipse exponit, tametsi regnum caelorum non nisi pro Ecclesia præsentis accipiendum velit) necessariò sequitur obseruantiam ipsam & executionem legis tanquam ad salutem necessariam à Christo hoc in loco commendari. Nullum enim vel abiectum esse in Ecclesia, hominem à salute pro tempore extorrem significat. Ceterum si regnum caelorum pro futura beatitudine accipiatur, sicuti in sequenti sententia (*non intrabitis in regnum caelorum*) manifestè accipitur, sequitur magis, præceptorum legis transgressorem ab æterna salute excidisse. Deinde Christus aper-

apertissimè non de doctrina tantum, sed etiam de actuali executione legis hoc loco disputat. Ait enim. *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Vbi magistros in Ecclesiam suâ Christus admittit (manendo in sensu ipsius Caluini quòd regnum cælorum non nisi Ecclesiam præsentem significat) non solum *qui fidi erunt legis interpretes, & integram eius doctrinam asserunt*, vt Calvinus explicauit; sed qui seduli erunt legis factores, & integram eius obedientiam exequentur. Imò factores docentibus anteponit: *Qui fecerit & docuerit.* Sed Calvinus quia doctor quàm factor esse maluit, de doctrina hic agere Christû vult, non de vita: id est, non de modo & ratione viuendi, sed de ratione docendi.

Quomodo autem reuera Christus legem & Prophetas adimpleuit, melius nos docebit S. Augustinus. *Quia veniens Christus per Spiritû S. quem promissit, charitatem in manifestatione donauit, qua sola charitate iustitia legis posset impleri; propterea dixit, Non veni soluere legem, sed adimplere.* Rursum eiusdem libri cap. 30. *Vnde venit Dominus legem non soluere, sed adimplere, nisi vt perceptis promissorû figuris, quæ reddita veritate adimpletæ sunt atque sublata, ipsa quoque præcepta per nouitatem Spiritus implerentur in nobis.* Et alio in loco. *Gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad Prophetiarum impletionem; & quia vtrumque per Christum, ideo non venit soluere legem aut Prophetas, sed adimplere.* Hæc ille eiusdem operis lib. 17. cap. 6. Idem docet in exposit. quarundâ proposit. in epist. ad Rom. Sic etiam hunc locum exponit Chrysost. hom. 16 in Matthæum.

Contra  
Faustum  
Lib. 19.  
cap. 27.  
Legem  
Christus  
quomodo  
adimple-  
uit.